



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum creature sint in Deo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

etis eorum. minor declaratur, quia discordare est deuiare à concordantia sed nullus potest cognoscere quid sit deuiare à concordantia nisi cognoscat quid sit concordare cum hoc includatur in intellectu alterius, ergo nullus potest cognoscere quo modo aliqua possunt discordare ab arte nisi præcognoscat quo modo possunt cum ea concordare. Unde grammaticus licet per eandem artem cognoscat congruum & incongruum, tamen intellectus incongrui non dependet immediate ab arte, sed mediante intellectu contrarii propter dictam causam, quia non potest sciri quid sit discordare nisi sciatur quid est concordare, & idem est de cognitione Dei respectu bonorum & malorum, quia semper intellectus negationis dependet ab affirmatione, & priuationis ab habitu quæ priuat, quia illi soli opponitur ut nomen priuationis dicit.

15 Secunda ratio talis est, malum est carentia alicuius boni debiti in esse, defectus enim boni non debiti in esse (ut defectus visus in lapide) non habet rationem mali, hæc ergo est mali ratio sine qua impossibile est intelligere malum, sed illud bonum debitum in esse cuius carentia est malum non potest esse essentia diuina quæ in nullo nata est esse nisi in suppositis diuinis in quibus necessario est, ergo est aliqua perfectio creata, ergo sine ea impossibile est intelligere malum, & sine dubio absurdum videtur quæcitas possit à quocumque intelligi sine visu, cum sit de ratione eius, est enim priuatio visus in susceptiuo.

16 Dicitur etiam Diony. non facit pro eis, non enim intendit ibi Diony. tradere modum quo Deus cognoscit mala, sed quo cognoscit alia à se. Dicit enim quod Deus nouit omnia antequam fierent, quia omnia continet & omnia præhabet in se tanquam omnium causa, constat autem quod non præhabet in se mala tanquam eorum causa, cum ergo dicit quod lumē si esset cognituum cognosceret tenebras non aliunde videns tenebras quam à lumine, forte per tenebras norat non priuationem solam, sed lumen participatum, & deriuatum à fonte luminis, iuxta quem modum omnis creatura Deo comparata tenebra vocatur, Ioan. 1. tenebræ eum non comprehendunt.

17 Vel potest dici quod Deus non aliunde cognitionem accipiens cognoscit mala, quia prima ratio cognoscendi tam bona quam mala est essentia diuina, sed proxima ratio cognoscendi mala sunt bona creata quæ per mala priuantur.

*Ad argumenta non respondet, quoniam sunt eadem apud Thomam.*

#### QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum creaturæ sint in Deo.  
*Tho. 13. q. 1. ar. 4. ad primum.*

Secundo queritur, vtrum creaturæ sint in Deo? Et videtur quod non, quia si creaturæ essent in Deo, aut hoc esset per essentias suas, aut per suas similitudines, non per essentias suas, quia quicquid est in Deo est ab æterno in ipso, essentia autem rerum non sunt æternæ. Nec per suas similitudines, quia quod est in aliquo secundum suam similitudinem tantum, non habet in illo propriam operationem, res autem habent in Deo proprias operationes, secundum illud Act. 17. in ipso viuimus, mouemur & sumus, ergo &c.

2 IN CONTRARIUM est quod dicit Anselm. monologion. 36. quod res verius sunt in deo quam in seipsis.

3 Ad idem est quod dicitur in litera.

4 RESPONSIO. Dicenda sunt duo. Primum est quod omnes res sunt in Deo. Secundum est de modo quo sunt in eo.

5 PRIMVM patet de rebus creatis specialiter sic. Omnia quæ procedunt ab aliqua causa præexistunt aliquo modo in ea (sicut potentia & virtute.) Sed omnes creaturæ procedunt à Deo, ergo præexistunt aliquo modo in eo. Secundum patet idem de omnibus creatis & increatis sic, quicquid est in essentia diuina, scientia vel potentia, totum est in Deo, sed attributa & relationes & diuinæ personæ sunt in diuina essentia, omnia verò possibilis sunt in eius potentia, bona verò & mala sunt in eius scientia, ergo omnia sunt in Deo, quia præter hæc nihil est dare quod sub his non contineatur.

6 QVANTVM ad secundam sciendum est quod res creata potest dupliciter considerari. Vno modo secundum esse suum formale, & naturam propriam generis. Alio modo secundum esse virtuale suæ causæ, secundum quod dicuntur in sua causa præexistere, si consideretur res creata primo modo sic ipsa dicitur esse in Deo, quia est in Dei scientia, & potentia, non autem in Dei essentia. Cuius ratio est, quia creatura sic considerata (cum non sit in idem quod Deus) solum potest esse in Deo in habitu obiecti terminantis eius operationem, & non in habitu identitatis, & quia hoc nomen Deus significat suppositum cuius est agere, scientia verò & potentia significant principia actionum se extendentium ad creaturas re vel ratione, ideo creatura potest dici esse in deo & in eius scientia, & potentia, eo quod Deus scit eam, vel potest producere eam, vel producam destruere, essentia verò nihil importat per respectum ad creaturas, quia sicut à posse dicitur potentia, & à scire scientia, sic ab esse dicta est essentia. Unde sicut aliqua dicuntur esse in Dei potentia, quia Deus potest illa, & in Dei scientia, quia Deus scit illa, ita dicuntur esse in Dei essentia, quia Deus est illa, vel quia subsistunt in illa. Et quia Deus non se habet ad creaturam in habitu identitatis, neque secundum essentiam, neque secundum naturam existentiam, ideo non potest dici quod res sic consideratæ sint in dei essentia seruando proprietatem locutionis, licet enim essentia Dei non sit aliud quàm sua potentia vel scientia, tamen aliquid connotatur in nomine vnius quod non in nomine alterius, propter quod aliquid dicitur esse in vno quod non dicitur esse in altero. Si autem considerentur creaturæ secundum esse virtuale suæ causæ secundum quod in sua causa præexistunt (quod esse licet non sit creaturæ formaliter, sed potius creatoris, est tamen earum aliquo modo, quia hoc huius multipliciter dicitur ut habeatur. 2. Elen.) sic creaturæ possunt dici esse in Dei essentia, quia sunt ipsa diuina essentia quæ est sua virtus productiua creaturarum, & sic loquitur Anselmus quod creatura in Deo est creatrix essentia, sic etiam creatura est in Dei scientia, quia Deus scit essentia suam ut est virtus productiua creaturarum, sed non debet dici quod sit in Dei potentia, quia diuina essentia non subiacet suæ potentie ut obiectum. Et quia suppositi esse & agere, ideo quæcunque dicuntur quocumque modo esse in Dei potentia, scientia, vel essentia secundum eundem modum possunt dici esse in Deo cuius esse scire & posse.

7 Ex prædictis potest patere qualiter intelligendum est quod dicunt Aug. & Anselm. quod creatura verius esse habet in deo quam in natura propria. Hoc enim quod est verius potest esse nomen, vel aduerbiu, si sit nomen tunc est determinatiuum ipsius esse, si sit aduerbiu sic est determinatiuum huius verbi quod est habere. Primo modo ergo sensus est quod esse creaturæ in Deo est verius esse quàm esse creaturæ in propria natura, & hoc est verum, vocando esse creaturæ in Deo quod habet creatura in Deo per identitatem modo quo dictu est, (scilicet ut est creatrix essentia & esse creaturæ in sua natura esse suum formale) constat enim quod esse diuinum est verius. & perfectius quàm esse creatum, & primum habet creatura in Deo: secundum autem in seipsa. Si verò hoc quod est verius sit aduerbiu & determinatiuum huius verbi quod est habere sic est falsa propositio, & est sensus, quod illud esse quod habet creatura in Deo habet verius (id est, veriori modo) quàm illud quod habet in natura sua, & hoc est falsum, quia illud esse quod habet creatura in natura sua habet formaliter, illud autem quod habet in Deo non habet formaliter, sed solum denominatione extrinseca, eo modo quo diceretur quod sanitas hominis est in medicina, semper autem habetur verius, id est, veriori modo illud quod habetur formaliter & intrinsece, quamquam sit imperiectius, quàm illud quod habetur denominatione extrinseca solum etiam si millefies esset perfectius.

8 AD ARGUMENTVM in oppositum dicendum quod res creatae sunt in Deo per essentias suas, non quidem formaliter vel per identitatem, sed obiectiue, quia subsunt diuinæ scientiæ, & potentie, & hoc modo sunt æternæ, quia ab æterno scitæ, & possibiles. Hoc etiam modo viuimus in ipso, mouemur, & sumus in ipso conseruante & à quo est nostrum viuere & esse, & operari.  
Virum

Vtrum autem res creatae omnes vel aliquae sint in deo per suas similitudines patebit in sequenti questione. Ad autoritates Anselmi patet responsio.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum in Deo sint aliquae ideae.

Tho. 1. q. 15.

Postea quaeritur de ideis. Et primo, vtrum in deo sint aliquae ideae. Et videtur quod non, quia si poneretur, hoc esset vt essent principium essendi, vel cognoscendi, non vt sint principium cognoscendi, quia per idem cognoscit Deus se & alia, sed non cognoscit se per ideam, ergo nec alia. Nec etiam vt sint principium essendi, quia cum Deus sit causa creaturarum per intellectum, ideae non possunt esse principium essendi creaturae, nisi sint principium cognoscendi, quare &c.

\* alias pro  
ducendi &  
infra.

Item secundum Aug. melius & perfectius cognoscuntur res per essentias suas esse in deo, vt per suas similitudines, sed Deus perfectissime cognoscit res, ergo cognoscit eas per proprias essentias, non ergo per ideas quas sunt quaedam rerum similitudines.

IN CONTRARIUM est quod dicit Aug. lib. 83. q. 46. q. quod tanta vis est in ideis, vt sine his intellectus sapiens esse nemo possit, constat autem Deum esse sapientissimum, quare &c.

Item omnes formae quae sunt in potentia passiva materiae sunt in potentia actiua primi motoris, vt habetur a commentatore. u. metaphy. sed nihil aliud dicimus ideae quam formas rerum in Deo intellectualiter praexistentes, ergo &c.

RESPONSIO. Videnda hic sunt tria. Primum est quid vocamus ideam. Secundum est an ideae sint in deo. Tertium est quo modo se habeant ad intellectum diuinum, & ad actum intelligendi.

QVANTVM ad primum sciendum est qd Aug. vbi supra dicit quod idea si verbum ex verbo traseratur dicitur apud nos forma vel species. Si autem dicatur ratio hoc non est secundum proprietatem nominis. (Ratio enim alio nomine significatur apud Graecos, dicitur enim logos) tamen (vt dicit) natura rei non discrepat. ex quo possumus accipere quod cum idea secundum proprietatem nominis sit forma, & secundum veritatem rei ratio dici possit quod idea est forma intellectualis, solum enim talis forma potest proprie dici ratio, nam forma secundum esse quod habet in materia non dicitur proprie ratio, non enim nisi tamen forma intellectualis potest dici idea, sed solum illa ad cuius similitudinem aliquid est producibile. Vnde Dion. 5. ca. de di. no. appellat ideas exemplaria, & Seneca in quadam epistola ad Lucillum dicit quod idea est exemplar ad quod artifex inspiciens operatur quaequid operatur exemplar autem est ad cuius similitudinem aliquid fit vel est factibile. Ex his ergo possumus accipere quod idea est forma vel ratio ad cuius similitudinem agens per artem potest aliquid producere.

EX HOC apparet secundum scilicet quod ideae sunt in Deo, & propriissime sunt in eo, quod patet sic omne agens per intellectum habet penes se rationem rei fieri quam cognoscit, & iuxta quam exemplariter rem producit, & hoc patet de se, & per dictum Aristot. 7. meta. vbi dicit quod ab arte sunt quorum species est in anima, vt sanitas in materia fit a sanitate in anima, & arca similiter. Sed Deus producit res per intellectum, & artem, vt probatum fuit in praeced. dist. ergo Deus habet penes se rationes rerum quas cognoscit & iuxta quas res producit. Has autem vocamus ideas, ergo &c.

q. 1. num. 5.

Non solum autem ideae sunt in Deo, imo propriissime sunt in eo, quod sic patet, res enim habet esse quasi sex modis. Vno modo in potentia materiae. Alio modo in causis suis agentibus & naturalibus, vnumquodque enim praexistit aliquatenus in omnibus causis suis, ex quibus vel a quibus educitur passiuè, vel actiuè. Tertio modo, res habent esse in seipsis cum iam productae sunt. Quarto modo habent esse in intellectu nostro, anima enim quodam modo est omnia. Quinto modo habent esse in intellectu motori orbium, quia opus naturae est opus intelligentiae. Sexto modo habent esse in intellectu primi. Est enim Deus per suum intellectum causa omnium entium, esse autem quod habent res in potentia materiae non habet

Directiva  
infra d. 38.  
q. 3. num. 23.

ratione ideae, quia idea est quid actuale: dicitur enim forma vel species, esse autem rei in potentia materiae est pure quid potentiale, esse etiam rei in suis causis naturalibus & agentibus non habet rationem ideae, quia idea dicit aliquid quod vt sic pertinet ad intellectum, est enim ratio sine qua nullus intelligitur sapiens secundum Augu. esse autem rei in suis causis naturalibus non est intellectuale, vt sic. Itē esse rei in seipsa non habet rationem ideae, quia idea dicit aliquid factuum, saltē per modum exemplaris, esse autem rei in seipsa est aliquid factum magis quā factuum saltē respectu sui non habet rationem factiui nec ideae, idea etiam dicit quid incōmunicabile propter quod ratio rei in intellectu nostro non est idea: dicit etiam quid primū & principale, & sic forma rerum in mente angelica non sunt propriae ideae. Itē autē duae vltimae conditiones solum sunt conditiones ideae secundum quod idea principalissime accipitur, & sic solum vel potissime idea est in Deo, ratio enim cuiuslibet rei in mente diuina est quid actuale, intellectuale, factuum, incōmunicabile, & primum seu principale.

\* alias in  
com  
mutabile  
& infra.

Has quinque conditiones tangit Aug. li. 83. quest. q. 7. dicens sic, ipse namque principalis (quo ad quinque conditionem) quaedam forma (quo ad primam) & rationes rerum (quo ad secundam) stabiles atque incommunicabiles (quo ad quartam) quae ipsae formae non sunt & cum ipsae neque orientantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oritur & interire potest, & omne quod oritur & interit (& hoc est quantum ad tertiam conditionem) & sic patet secundum propositum, scilicet quod in Deo sunt ideae propriissime.

QVANTVM ad tertium, scilicet qualiter se habeant ideae ad intellectum diuinum aduerendum est quod est ibi considerare quatuor, scilicet intellectum & rationem secundum quam intelligit, & actum intelligendi, & rem intellectam, horum tria prima nunquam differunt in Deo nisi secundum rationem, quartum autem quandoque differt secundum rem, & quandoque non, res enim intellecta primo & principaliter non differt ab eis nisi secundum rationem. Primum enim & principale obiectum intellectus diuini est sua essentia, vt visum fuit supra, di. 35. q. 1. sed obiectum secundarium quod est res creata differt realiter ab aliis tribus.

Inter haec autem solum obiectum potest habere rationem ideae. Quod patet dupliciter: Primum, quia idea est exemplar ad quod artifex inspiciens operatur (vt patet ex iam dictis) sed illud ad quod intellectus inspiciat est eius obiectum, & nihil aliud nisi vt induit rationem obiecti, sicut & in sensu illud ad quod visus corporalis inspiciat est eius obiectum, nec quicquam aliud nisi cadat sub modo obiecti, ergo solum obiectum intellectus diuini habet rationem ideae.

Secundo patet idem sic, idea licet non sit nobis eque principaliter respectu artificiatorum, sicut est in Deo respectu omnium creatorum vel creabilium, est tamen aliquatenus, sed in nobis idea respectu artificiatorum, non est intellectus artificis nec suus actus intelligendi, quia ad istorum similitudinem res artificata non producit: producit autem ad similitudinem ideae suae, nec idea est ratio intelligendi quae sic est ratio intelligendi quod non est intellecta, sicut est species secundum ponentes ipsas, quia ad rationem intelligendi sic acceptam, & retentam nunquam respicit intellectus artificis, restat ergo quod idea in nobis sit solum obiectum intellectus nostri, quare & in Deo proportionabiliter oportet dicere quod idea non sit intellectus diuinus nec actus intelligendi, nec ratio intelligendi & non intellecta, sed sit solum obiectum intellectus diuini quod concedendum est.

Sed hic est aduertendum quod obiectum intellectus diuini est duplex, quoddam primum & principale quod est essentia diuina. Aliud autem secundarium, scilicet res creabiles, vel creata. Ideo inquirendum est quid horum habeat rationem ideae an alterum tantum, an vtrumque. Videtur autem prima facie quod res creabiles & intellecta a Deo sit idea sua ipsius, vt est productibilis in re extra. Et hoc patet primo ex ratione ideae sic, idea est ratio rei apud intellectum existens obiectiue, ad cuius imitationem aliquid est producibile, sed creatura vt intellecta a Deo se habet ad seipsam vt est producibilis in re extra, vt ratio apud intellectum existens obiectiue ad imitationem etiam rei, vt est intellecta produci, ipsa producit in re extra, ita quod idem